in tutum? te salutare dei nostri. Iubilate deo omnis terra: cantate et exultate et psallite. Psallite domino in cythara in cythara et voce psalmi: in tubis ductilibus et voce tube cornee. Iubilate in conspectu regis domini moveatur mare et plenitudo eius: orbis terrarum et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu simul montes exultabunt a conspectu domini: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iusticia: et populos in equitate.

Dominus regnavit irascantur populi: qui sedes super cherubin moveatur terra. Dominus in syon magnus: et excelsus super omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile sanctum est et honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudicium et iusticiam in iacob tu fecisti. Exaltate dominum deum nostrum et adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est. Moyses et aaron in sacerdotibus eius: et samuel inter eos qui invocant nomen eius. Invocabant dominum et ipse exaudiebat eos: in columpna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius: et preceptum quod dedit illis. Domine deus noster tu exaudiebas eos deus tu propicius fuisti eis: et ulciscens in omnes adinventiones eorum. Exaltate dominum deum nostrum et adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus dominus deus noster.

Qua mirabilia fecit dominus.

Iubilate deo omnis terra: servite domino in leticia. Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam dominus ipse est deus: ipse fecit nos et non ipsi nos. Populus eius et oves pascue eius introite portas eius in confessione: atria eius in ympnis confitemini illi.

Laudate nomen eius quoniam suavis est dominus in eternum misericordia eius: et usque in generationem et generationem veritas eius. P S

Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine. Psallam et intelligam in via immaculata quando venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus mee. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prevaricationes odivi. Non adhesit michi cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo: hunc persequebar. Superbo oculo et insaciabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terre ut sedeant mecum ambulans in via immaculata: hic michi ministrabat. Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiam qui loquitur iniqua: non direxit in conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores terre: ut disperderem de civitate domini omnes operantes iniquitatem.

Iubilate deo omnis terra. Clamabo. evovae.

Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam. In quacumque die invocavero te: velociter exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum ut fenum et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. A voce gemi

ARCHIVIUM AVERBODIENSE

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 26, fol. [4]r – Psalter (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5xj2/7135/69943)